



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEAD HONORANDAMECCLESIA S. APOLLINARIS IN URBE AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Ad honorandam memoriam Sancti Apollinaris episcopi et martyres Ravennae civitatis saeculo septimo Romae in regione Campi Martii templum erectum est insigne sane ratione architectonicae structurae sive historiae sive praesertim necessitudinis cum Armena Ecclesia, cuius martyres ibi peculiari veneratione coluntur. Quod quidem templum praecipua cura prosecute sunt Romani Pontifices, qui praerogativis Stationis Quadragesimalis, Tituli Cardinalitii et Collegii Canoniorum illud decoraverunt. Hoc ipsum templum, postquam Summus Pontifex Gregorius XIII Collegio Germanico-Hungarico eius cultum concedidit, magnam nominis famam adeptum est ob liturgicarum caerimoniarum splendorem et ob perfectionem in cantu sacro exsequendo. Quae quidem nobilissimae traditiones minime cessaverunt, cum subinde ecclesia Sancti Apollinaris una cum adiunctis aedibus concessa est in usum Seminarii Romani et Seminarii Piani; immo incrementum susceperunt ex eo videlicet quod apud continentes domus sedes studiorum sacrarum est collocata. In pulchro huius ecclesiae sacello exstat imago Deiparae Virginis udo depicta, cui postea titulus Reginae Apostolorum est inditus quaeque summa pietate colitur. Sub materno ipsius patrocinio ad pietatem, ad scientiam et ad disciplinam excolta sunt crebra agmina sacerdotii candidatorum, quorum in numero hodie quoque plurimi sacerdotes recensentur qui curam animarum gerunt quique in supremos ecclesiasticae dignitatis gradus sunt eVecti, Eminentissimus Cardinalis Hugo Poletti, Noster ipse in Urbe Vicarius, nuper Nobis exhibuit postulationem sacerdotum cultui huius sacrae aedis addictorum ut eadem titulo Basilicae Minoris decoraretur. Cui petitions Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino assensum praebuit. Nos autem vestigiis insistentes Decessorum Nostrorum ac peculiare benevolentiae testimonium proferre volentes erga hoc templum, ubi memoria celebrabitur hoc volvente anno consecrationis episcopalis Decessoris Nostri Sancti Pii X quae ibi abhinc saeculum habita est, libenter votis Nostri Venerabilis Fratris ac fidelis Adiutoris obsecundamus. Apostolica igitur auctoritate Nostra ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus ecclesiam S. Apollinaris in Urbe eique concedimus omnia privilegia quae ad ecclesias pertinent hoc titulo decorates. Fore porro confidimus ut, aucto sic humus templi honore, pariter augeatur pietas erga Deiparam Virginem et Sanctorum cultus quorum memoriam in ea frequentatur. Iubemus praeterea quaecumque statuuntur Decreto «De titulo basilicae minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras dato eadem fideliter servari. Contrariis rebus quibuslibet neutiquam obstantibus. *Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XVI mensis Martii anno MCMLXXXIV Pontificatus Nostri sexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana